

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Sectio II. Dogmatica. Qua probatur Papam Romanum Esse Antichristum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

SECTIO II. DOGMATICA.

Qua probatur
PAPAM ROMANUM ESSE
ANTICHRISTUM.

§. I.

In tempore Hieronymi (sicut & Ambrosii & Augustini) Papa olim nullus fuit Archiepiscopus in Ecclesia, nullus Pa-^{commune} triarcha, nullus Primas, nullus Metropolitanus, ^{nomen} multo minus Papa seu œcumenicus Pontifex; sed ^{omnium} omnes erant Episcopi inter se æquales. Deinde ^{Episcoporum.} ipsi Episcopi iidem qui Presbyteri, & econtra, denique Episcopum Eugubii non longe à Roma oppiduli, æqualem esse dicit ipsi Romano Episcopo. Heu quantus hæreticus futurus, si hodie viveret vir sanctus, & mirum, quod non millies eum damnent, ultra tartara cum omnibus ejus scriptis. Fuit & vocabulum *Papa commune nomen Episcoporum*, sic S. Hieronymus vocat S. Augustinum sanctissimum Papam, & Cyprianum vocabant Papam in Ecclesia Carthaginensi. Quare evidens est, totam illam Hierarchiam Papalem esse doctrinas hominum, seu dæmoniorum verius, per hypocritas falsiloquos introductas. Omnes (inquit S. Hieronymus) merito & sacerdotio sunt æquales: potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum facit. Et quod mirandum est, eo tempore nec differentia donorum & gratiarum spiritualium (quibus tamen maxime debebatur dignitas præcellentiæ seu superioritatis) faciebat superiores Episcopos.

Tom. IV. Gen. Lat. pag. 414. a. Tom. I. Alt. p. 469. a.

Ddd dd 2

§. II.

§. II.

*Antichristi
vox adver-
sarium &
vicarium
Christi no-
tat.*

Antichristi nomen duo notat, pro duplici significatione voculæ ἀντί, pro sive vice alterius, & contra, vel vicarium vel adversarium Christi. Utamque significationem respicere videtur Paulus 2. Thess. II. 4. quando *Antichristum* vocat ὁ ἀντιχριστός, 2. dicit, eum seipsum venditare pro Deo, ac in templum Dei se collocasse, quod sane idem est, ac vicarium Dei agere & pro eo regnare velle. *Antikimenus* autem est (a) *adversarius*, qui resistit semper & nil nisi contraria Christo agit, ac nunquam cessat. Id vero facere Papam Romanum, ex dicendis demonstrandisque infra copiosius patebit. Hinc (b) *Paulus* præcipue tam severe invehitur in *Antichristum*, quod gratiam tollit, & negat beneficium Christi, Pontificis nostri, qui se ipsum dedit hostiam pro peccatis nostris. Hoc modo autem Christum negare, est eum prorsus conspuere & conculcare, ac sese in locum ejus constituere & dicere: ego te justificabo & salvabo. Per quid? Per missas, peregrinationes, indulgentias, observationem regulæ &c. Itaque *Antichristus* simpliciter sese extulit contra & supra Deum, seque constituit in locum Christi, gratiam abiecit, & fidem negavit. Sic enim docuit: fides nihil prodest, nisi habeat opera. Et hac falsa persuasionem Christi beneficium prorsus obscuravit & obruit, & in locum gratiæ, Christi & regni ipsius, doctrinam de operibus & regnum caeremoniarum instituit, & meris nugis illud confirmavit. Vide (c) quam dispar sit Christus suis successoribus, cum tamen omnes velint esse ejus vicarii. Et metuo, ne revera plurimi eorum sint, & nimium sero vicarii ejus. Vicarius enim absentis Principis est. Quod si Pontifex absente Christo, & non in habitante in corde ejus præsit, quid aliud quam vicarius Christi est? At quid tum illa Ecclesia, nisi multitudo sine Christo est? Quid vero talis vicarius nisi *Antichristus* & idolum est? Quanto rectius Apostoli, qui se ser-

vos

vos Christi appellant presentis, non vicarios absentis.

(a) Tom. IV. Alt. ad Gen. 26. p. 173. a. (b) Tom. IV. Jen. Lat. fol. 60. b.

(c) Tom. I. Jen. Lat. fol. 463. in Epist. ad Leon. X.

§. III.

Cum vero varie dicatur *Antichristus*, generatim & latius *Antichristi-*
 accepto vocabulo, atque speciatim sive strictius, ne verus & *sens latiore*
 singularis Antichristus κατ' ἐξοχὴν sic dictus, ambiguitate ludat, *sensu ex*
 seque ex hoc numero eximat, paucis indicanda est amphibolia; *Augustino.*
 quanquam ubi rerum adfunt testimonia pro *Papa Romano*, quid
 opus est verbis? Johannes I. Epistolæ Cap. II. 18. & unius Anti-
 christi signanter per articulum, & multorum mentionem facit.
 Multos etiam fuisse Antichristos omni fere tempore, & esse,
 dubio vacat, quia ipsa experientia quotidiana probat. Unde
Augustinus in Exposit. Epistolæ Joh. Tract. III. pag. 405. ait:
 Nunc interrogare debet unusquisque, conscientiam suam, an sit
 Antichristus? Latine enim Antichristus contrarius est Chri-
 sto. -- Mox eos omnes Antichristos vocat, qui mentiun-
 tur. Omnes, inquit, qui mentiuntur, non sunt ex Christo. Quo-
 modo probantur Antichristi? ex mendacio. Et quis est mendax,
 nisi qui negat quoniam Jesus est Christus? Jam ergo quæramus,
 quis neget, & non attendamus ad linguam, sed ad facta; si enim
 omnes interrogentur, omnes uno ore consententur Jesum esse Chri-
 stum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si inveneritis
 hos, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio eorum non tan-
 tum lingua fit, sed & factis. Certe invenimus multos Antichri-
 stos, qui ore consententur Christum, & moribus dissentiunt à Chri-
 sto. Ubi invenimus hoc in Scriptura? Paulum ad Apostolum, de
 talibus cum loqueretur, ait, consententur enim se nosse Deum, factis
 autem negant. Invenimus & ipsos Antichristos, quisquis factis
 negat Christum, Antichristus est. Non audio quid sonet, sed
 video quid vivat: opera loquuntur & verba requirimus? Quis
 enim malus non bene vult loqui? Sed quid dicit de talibus Domi-

Ddd dd 3

nus?

nus? Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Matth. XII. Verum ita non capimus notionem Antichristi hoc loco. Unde & alia significatio, quæ sequitur, attendenda est

§. IV.

Duplex An-
tichristus,
Turca &
Papa.

Antichristus duplex vulgo statuitur, *Orientalis* & *Occiden-
talis*. Illum extra Ecclesiam, & Turcam; hunc intra Ecclesiam,
& Papam esse dicimus. Quæ distinctio *Luthero* haud incogni-
ta, sed à *Nostratibus* procul dubio ex eo hausta fuit. Sic enim
ad Genes. XVII. 8. scripsit: Paulus de *Antichristo* dixit, quod
scilicet *elevabitur super omne quod Deus est*, & omnem cultum.
Antichristus, hoc est, *Papa & Turca* non extolluntur super
Deum in substantia sua, qui est incognitus & absconditus Deus,
ut *Esaias* appellat; sed super Deum in prædicamento relationis,
qui est Deus prædicatus verbo, & manifestatus cultu. Uter-
que enim verbum & cultum Dei non negligit solum, sed odit &

Papa supra
Deum se ef-
fert.

persequitur. Itaque extulit se *Papa* supra Deum, & constituit
se in locum Dei, ita ut adoretur loco Dei, oppresso verbo, &
serviatur ei oppresso cultu divino. Inspice enim *Canones*, &
videbis, quod longe severius puniuntur transgressiones traditio-
num *Papæ*, quam transgressionis legis divinæ. Imo Christum
Deum solum adorandum & colendum, hunc conculcat pedi-
bus & blasphemat: vult autem coli sua dogmata, se vult time-
ri, vult confidi iis quæ ipse docet. Hoc vere est constituere se
supra Deum dictum & cultum: ideo recte vocatur *Antichristus*.

Turca ve-
rius bestia
est, Anti-
christus in
Ecclesia se-
det, & pro-
prie est An-
tichristus.

Post pauca ait: Maneto igitur apud Deum in prædicamento rela-
tionis, super quem extollitur *Antichristus*, hoc est, *Papa Romanus*
& *Turca* quoque: quanquam *Turca* verius bestia est, quia est extra
Ecclesiam, & manifeste persequitur Christum. *Antichristus* au-
tem sedet in templo Dei: ideo proprie loquendo, & definitione
dialectica est *Antichristus*, qui in Ecclesia sedet, ubi visibiles
Dei formæ apparent, quas ipse conculcat, & fingit novas for-
mas &c.

Enarrat. in Genes. fol. 199. b. & pag. 481. ff. edit. 8.

§. V.

§. V.

Exceptioni Pontificiorum, quod *Antichristus* unica & singularis *persona* sit, ita occurrit Noster, in *Respons. ad Lib. Am- brof. Catharini*: Nequaquam illi sunt audiendi, qui hunc (Dan. VIII.) & similes Prophetarum locos intelligunt de *una aliqua persona sola*, ignorantes, quod Prophetarum mos est, totius alicujus regni corpus significare per unam personam. Hinc enim & Antichristum, quem Paulus *hominem peccati & filium perditionis* appellat, perperam uni personæ aptant, cum ille totum corpus & chaos hominum impiorum, totamque successionem regnantium velit intelligi Antichristum esse. Sic enim aries Persarum regnum, hircus Græcorum regnum Dan. VIII. significat.

Tom. II. Gen. Lat. fol. 377. b.

§. VI.

De ortu *Antichristi* illius magni quæstio nunc disceptanda est, magni certe momenti, quia & hic effugia quærit Papa, insignis iste impostor. De qua Lutherus copiose atque erudite ad Genes. XLIX. 16. seq. egit. *Vulgata*, inquit, *opinio est* apud omnes autores Ecclesiasticos, quod ex tribu Dan sit venturus Antichristus, quem *per colubrum* intelligunt, & tanquam principalis articulus fidei recepta & approbata est ab omnibus; sed alienissima est ab hoc loco & falsissima. Unde orta sit, nescio, verum in antiquioribus etiam scriptoribus extat, & semper ab initio Ecclesiæ celebris fama fuit de Antichristo venturo, sicut inquit Johann. *multi sunt Antichristi*. Dixerunt nascendum ipsum esse in *Babylone*, ex tribu Dan, & pervasit hoc commentum omnes Ecclesias; adeo ut sæpe optarim majores nostros ea diligentia & studio potius doctrinam de Christo inculcasse. An vero sit petenda allegoria ex nomine Dan, quod *judicium* significat, ut Genes. VI. *non judicabit Spiritus meus*, &c. *non docebit, non arguet*, ita ut eo torqueatur, quod Antichristus *judicis, non*

Antichristus non unam tantum personam sed totum corpus seu regnum notat.

De ortu Antichristi. An ex tribu Dan? Gen. 49, 16.

non

non salvatoris officium facturum sit, sane nescio. Certe *Papa* replevit Ecclesiam legibus, & traditionibus commentitiis, & extinxit verbum, & fidem promissionum divinarum. *Dan*, hoc est, *Papa* non aliud potest, quam cacare *Decreta*, & *Decretalia*, & *Danitica*. Sed ad literam nemo recte senserit, quod debeat nasci Antichristus in Babylone & circumcidi more Judaico. Ac puto diabolus hujus fabulæ autorem fuisse & finxisse hanc glossam, ut nostras cogitationes à vero & præsentem Antichristo abduceret. Nam ex omnibus scholis & Doctoribus Papisticis nemo est qui sentiat Papam esse Antichristum; omnes opinantur eum ex Babylone venturum. Interea vero dum illum somniant & expectant, à vero *Antichristo Romano Pontifice* opprimuntur & absorbentur, qui *vere* est *Danita*, & ex *Babylone* oriundus, non *Assyriorum* illa, sed ex *Roma*, quæ est *Babylon*, in qua regnat *Dan*, hoc est, *Papa*. Voluit igitur diabolus suis præstigiis nobis illudere & mentis atque oculorum aciem præstringere, ne in hunc Antichristum, qui sedet in loco sancto, intueri possemus. Ipsi enim consiliis & mendaciis factum est, ut Antichristus in Ecclesia sederet, neque tamen divinis legibus, promissionibus & gratia gubernaret, (non enim potuit hoc præstare) sed contrario modo, videlicet, ubi Christus dono Spiritus Sancti remittit peccata, liberat conscientias à peccato, morte, inferno, diaboli potestate, ibi contra Pontifex Romanus infinitis laqueis & mendaciis replevit orbem, antequam perspicere aut judicare ea potuimus. Quid enim aliud agit sedens in templo Dei, quam quod laqueos ponit, quibus captivat conscientias, & occidit stultos & infinitis suis legibus & traditionibus minime necessariis, de cibo, potu, vestitu, &c. & horribiliter fulminat & tonat adversus eos, qui non obediunt, & tradit eos potestati Satanæ? Id nimirum est contraria Christo & Evangelio docere. Christus enim liberat nos à vi legis divinæ, ab accusatione legis seu Decalogi, & ceremoniarum obligationibus. *Papa* vero

vero etiam capillos, cibum, potum, domum, uxorem, & quicquid est in rerum natura, peccato obnoxium, & contaminatum dixit, nisi ab ipso concessum & sanctificatum decretalibus ejus. Ad hunc modum *Dan* ita ille extinxit suis legibus Evangelium & natus est ex terra Babylone, *Roma* videlicet, ut *Augustinus* eam alteram Babylonem vocat, quæ cœpit nasci, cum illa deficeret. Et *Dan* seu *Papa* est coluber super semitam Christi, qui veneno suo, & vivineat ambulantes in ea. Hæc ideo tantum recito, ut sciatis reprobare malum, & eligere bonum. Si *Parisienses* & *Lovanenses* audirent istam explicationem, clamarent me docere hæretica & pugnantia cum recepta opinione Patrum, jam mille annis tradita & propagata in Ecclesia. Sed sive Ecclesiæ, sive Synagogæ opinio hæc sit, profecto non est vera & propria. Textus enim loquitur de benedictione tribus *Dan*, non de maledictione. Supra manifeste maledixit Jacob Levi & Simeon, sed hic contrarium promittitur, quod *Simson* liberaturus sit tribum suam, cum reliquis, quæ huic vicinæ erant. Si cui vero placeat allegoria, is mystice intelligat, de *Babylone Romana*, & *monstro* illo turpissimo, *Papa Romano*, qui est *Dan* diabolicus, quia extinxit & hausit Ecclesiam, præsertim adulatorum, qui monastica & operibus suis confisi sunt, eorumque animas, corpora & res perdidit, & quæ Deus voluit esse bona salutaria & libera, ea fecit noxia & damnabilia. *Der verfluchte Tropyff zu Rom. Man soll ihm fluchen.*

Enarrat. ad Genes. 49. Tom. IV. in 8vo pag. 1117. seqq.

S. VII.

Veram Papatus originem *Lutherus* peculiari tractatu Ger- *Vera Papa-*
manico *Wider das Pabstum zu Rom vom Teuffel gestiftet* indi- *tus origo à*
dicavit, & contraria argumenta refutavit; cujus summam su- *Diabolo.*
pra recensuimus pag. 685. seqq. Addo hic tantum *Genealogiam*
Antichristi, quam delineavit Noster pulchre in Colloq. Con-
vival. Tit. de Antichristo, f. 254. a. ex Germanico Latine redditam.

Ecc ec

Liber

Genealogia
Antichristi.

**Liber generationis abominanda desolationis AN-
TICHRISTI, Filii Hypocriseos, Filii Diaboli.**

Dlabolus genuit Caliginem.
Caligo autem genuit Igno-
rantiam.

Ignorantia Errorem Fratresque
ejus.

Error genuit liberum Arbi-
trium & Arrogantiam ex
Philautia.

Liberum Arbitrium autem ge-
nuit Meritum.

Meritum vero Gratiae oblivio-
nem.

Gratia oblivio Prævaricationē.
Prævaricatio genuit diffiden-
tiam.

Diffidentia genuit Satisfactio-
nem.

Satisfactio genuit Sacrificium.

Sacrificium autem genuit Sacer-
dotem ex unctione Sacer-
dotii.

Sacerdos genuit Superstitionem.

Superstizio autem genuit Hy-
pocrisin Regem.

Hypocrisis autem Rex genuit
Quæstum & ea quæ sunt of-
fectorii.

Quæstus autem genuit Purga-
torium.

Purgatorium genuit fundatio-
nem Anniversariorum.

Fundatio Anniversariorum ge-
nuit Patrimonium Ecclesiæ.

Patrimonium Ecclesiæ genuit
Mammona.

Mammona autem genuit Luxum.

Luxus genuit Satietatem.

Satietas autem genuit Fero-
ciam.

Ferocia autem genuit Immuni-
tatem.

Immunitas autem genuit Do-
minatum.

Dominatus autem genuit Pom-
pam.

Pompa autem genuit Ambitio-
nem.

Ambitio autem genuit Sime-
niam.

Simoniam autem genuit Papam
& Fratres ejus Cardinales, in
transmigratione Babylonis.

Et post transmigrationem Ba-
bylonis, Papa genuit Myste-
rium iniquitatis.

Mysterium autem iniquitatis
genuit Theologiam Sophi-
sticam.

Theo-

Theologia autem *Sophistica* genuit abjectionem *Scripturæ*.

Abjectio autem *Scripturæ* genuit Tyrannidem.

Tyrannis autem genuit *Maſtationem* *Sanctorum*.

Maſtatio autem *Sanctorum* genuit contemptum *Dei*.

Contemptus autem *Dei* genuit *Dispensationem*.

Dispensatio autem genuit *Licentiam* peccandi.

Licentia autem peccandi genuit Abominationem.

Abominatio autem genuit *Confusionem*.

Confusio autem genuit *Anxietatem*.

Anxietas autem genuit *Quæſtionem*.

Quæſtio autem genuit *Argumentum veritatis*, ex qua revelatus est *Desolator* *Papa*, qui dicitur *Antichriſtus*.

§. VIII.

Quo jure igitur *Papa Romanus* *Petri* ſucceſſor haberi velit, haud obſcurum eſt. Sed ut in re gravi ſerio agatur, placet ex annotationibus *Lutheri* in *Matth. XVI. 17.* tranſcribere, quæ huc faciunt. *Da mihi nunc Petri ſucceſſorem, qui ita credat & fateatur, qui ita habeat revelationem Patris in cælis? Putasne, quod is præ gaudio iſtius ſapientiæ cœleſtis poſſet ferre, non dico optare aut quærere, iſtas ſordes regnorum mundi, id eſt, carnis & ſanguinis? quas ita furenter hætenus quærunt omnibus malis artibus & dictis Romani Pontifices, ſucceſſores (ut haberi volunt) Petri, cum verius ſucceſſores ſint Romuli, Julii, ſeu carnis & ſanguinis. Nam hoc ſequuntur, quod caro & ſanguis oſtendit. Id quod Pater revelat, & Petrus fatetur, etiam riſerunt hætenus multis ſeculis, & tamen ſunt, Diabolo favente, Petri ſucceſſores. Statuendum igitur primum, Romanos Pontifices plane nihil ad Petrum pertinere, neque Petrum ad ipſos. Nihil enim habent Petrinum, neque Petrus quicquam Papale. Petrus fateatur & docet Chriſtum filium Dei vivi, Papa docet ſeipſum & ſuas glorias & potentias, ille fidem requirit in filium Dei, Papa obedientiam in ſuas Satanicas avaritiæ leges & conſuetudines, ille*

Ecc ee 2

futu-

futuram vitam, Papatemporalem tyrannidem. Summa, Pontifices Romani hanc fidem & confessionem Petri pulchre & fortiter transilierunt, non eam in armis suis aut annulo Piscatoris sculpi aut pingi fecerunt, sed claves tyrannico sensu depravatas arripuerunt, & ita successores Petri se fecerunt. Sed rectius & vere fecissent, si *pro clavibus Petri, loculos & marsupium Jude Ischariotis* in armis suis sculpsissent. Hujus enim proprie sunt successores, quia sub nomine Christi omnia rapiunt & furantur, quæ sunt in orbe, rapturi libenter vel centum (si tot essent) mundorum opes, potentias & glorias, sub nomine Christi, sicut ille eorum Pater sub nomine Christi furabatur ea, quæ mittebantur. Secundo, statuendum est *Ecclesiam & Episcopos eos esse vere Ecclesiam & Petri successores, qui* (pronunciante hic ipso Christo) *fidem & confessionem Christi filii Dei vivi habent*, eamque revelante Patre in cælis, id est, revera & Spiritu Sancto per fidem non fictam docente, id quod postea per verbum Apostolorum fieri debuit, quia est confessio oris Petri in orbem vulganda. Qui vero præter hanc fidem & confessionem Petri docent aliud, vel contra eam pugnant, hi manifeste neque Ecclesia neque Episcopi esse definiuntur. Cum igitur *Papalis Ecclesia* non solum præter, sed etiam contra doceat, & eam persequatur, clarum est eam esse *non Christi Ecclesiam, nec Petri, sed Diaboli & Jude Ischariotis scholam, lernam & sentinam.*

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 359. b.

§. IX.

ad Matth.

XVI. 18. 19.

exceptiones

Cajetani

Cum autem præcipue nitantur Pontificii verbis Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus &c.* & 19. *dabo tibi claves &c.* Lutherus inde à primis fere reformationis annis, usque ad extremos, adversariis ad ea solide respondit. Exactis A. M. D. XVIII. Augustæ cum *Cardinale Cajetano*, supra pag. 4. & seqq. retulimus, quomodo plumbeum pugionem Purpurati cum ex Scriptura, tum historia retulerit.

In

In Disputatione *Lipsiæ* anno sequenti cum *Eccio* habita, & *Eccio* re-
valide quoque argumenta quibus impudentissimus nugator ad-
struere laborabat Petri vicariatum Christi & principatum inter
Apostolos, destruxit. Post adductam *Eccii* probationem ex
I. c. Matth. ejusque explicationem, *tu es vicarius Christi, &*
Apostolorum Princeps, eam ita examinat. Principio hoc ver-
bum Christi: *tu es Petrus* &c. oportet, quod habeat unum, pri-
mum, principalem & proprium sensum, in quo Christus ipsum
protulit. Hic autem, vel est iste, quod per *petram intelligitur*
Christus ipse, vel Apostolus Petrus, uterque principalis esse non
potest; quia ex duobus sensibus nihil probari potest. Si utrum-
que *Eccius* confitetur, jam prorsus nihil probat; quia qua fa-
cilitate ipse per *petram* Petrum, eadem ego Christum accipiam.
Imo non licet, nisi bono moderamine, quod infra dicam, ver-
bum Scripturæ de Christo dictum, alteri tribuere. Si autem al-
terum tantum sequitur, scilicet, quod *petra* sit Petrus, nec simul
permittit alium quoque valere, jam impius depravator est Ec-
cius, quod demonstro.

I. Quod nusquam in sacris literis *Petrus* *petra* dicitur, sed *Christus est*
Christus, ut I. Cor. X. 4. *Petra autem erat Christus*, & Matth. *petra*.
VIII. 24. *comparabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam*
super petram. Et infra v. 25. *fundata enim erat supra petram*. Ad-
ducat ergo *Eccius* etiam vel unum locum Scripturæ, ubi Petrus
dicatur *petra*. *Plus mihi valet unus locus Scripturæ, quam omnes*
Doctores per *Eccium* adducti, quanquam nec ipsos recte addu-
xit, ut videbimus.

II. Etiam in præsentī loco Christus manifeste distinguit Petrum à
Petrum à petra. Nam si vellet per *petram* intelligi Petrum, di-
xisset: Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam, at
cum repetit *petram*, manifeste indicat, aliud esse Petrum &
aliud *petram*, quam per pronomen, *hanc*, secernit à Petro, de-
monstrat & exprimit. Et sic ex textu præsentī facile prohibe-

Ecc ee 3

bo,

bo, ne *Ecclesiam* possit ostendere, Petrum esse petram, sed & textum, ipse pessime sibi conscius, ob hoc maxime fugit, quod sentit eum contra se stare, nec posse quidquam ab eo promoveri per ipsum, ideo ad Doctores fugit.

*Petrus est
pars Eccle-
siae, quæ su-
per petram
ædificatur:*

III. Quæro, an *Petrus* sit pars Ecclesiæ? si est pars Ecclesiæ, ergo non potest esse petra in hoc loco, quia Christus dicit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quare Petrus cum Ecclesia ædificatur super petram, & non est petra ipsa, nisi Ecclesia interpretandi more, idem super seipsum ædificari garrias. Vides ne, quid sit relictis verbis Scripturæ, Patrum dicta sine iudicio legere? Aut ergo Petrus non est Petra, super quam Ecclesia ædificatur, aut non est pars Ecclesiæ, quæ ædificatur super petram.

*ædificare
non est re-
gere, sed per
fidem Chri-
sto incorpo-
rari.*

IV. Verbum *ædificari*, verbum spiritus est, significans per fidem incorporari, & crescere in Christo. Ideo non sine pravitate cogi potest, ad potestatem regendæ Ecclesiæ, quæ sine fide geri potest; nam potest tam Papa quam subditus malus esse. Quare prorsus nihil ad rem pertinet tota ista autoritas, quæ nihil de primatu, aut potestate regiminis (quæ sine fide haberi possunt) sed de fide in Christum solum sonat; sicut & Matth. VII. 25. *fundata enim erat super petram*, ubi loquitur de persecutionibus. Sed constat, quod potestas regiminis, qua fundat Ecclesiam, nihil potest in persecutionibus, (cum & ipsa patiatur) sed fundatio fidei in Spiritu super Christum servat. Ita I. Pet. II. 5. docet Apostolus, ut *super Christum ædificemur domus spiritalis*. Postulo ergo ab Ecclesia, ut mihi unum etiam locum ostendat Scripturæ, ubi *ædificare* significet suum somnium de regimine, quod ubi non fecerit, nihil est, quod Patrum dicta sine textu, sine iudicio profert; non enim licet claro textui contradicere per quorumcunque auctoritatem. Sed & illam sequelam, qua Dialectica didicerit, vellem scire, *Ecclesia ædificatur super aliquid* (ut Petrum) ergo illud est vicarius Christi, & princeps Apo-

Apo-

Apostolorum. Ergo, si supra fidem ædificabitur (sicut verum est) fides est vicarius Christi. At hunc vicarium quis videbit? Non ergo Petro hic regimen promissum est, ut depravator cæcus errat, sed Ecclesiæ constructio in spiritu fidei descripta, in cuius Petrus persona confitetur petram, claves accipit, ut unanimiter dicunt SS. Patres.

Hinc ad alia *Eccii* argumenta progreditur, & II. quo ille ^{2. quod Petrus primus nominetur.} probare conabatur *Petrum jure divino esse vicarium Christi*, inde petit, quod *primus* nominetur inter Apostolos Matth. X. Huic opponit, 1. quod eadem ratione alius primatum *Andree* tribuere possit *ex vocationis ordine*, cum sit prior Petro in vocatione. 2. Quod in Scriptura *Ruben* prior inter Patriarchas nominatus, & tamen non jure divino eorum fuerit major: & *Stephanus* prior nominetur inter Diaconos, *Lucas* ante *Johannem* in Evangeliiis &c. nec tamen rectores aliorum fuerint. Quid, inquit, dicit ad *Paulum*, qui Gal. II. 9. *Petrum* postponit *Jacobo* minori, Episcopo Hierosolymitano?

Ad III. *Eccii* argumentum è *solutione tributi* Matth. XVII. ^{3. è solutione tributi.} 27. regerit: 1. *Petrum* hic solum Christo æquatum dici, cujus tamen dicatur vicarius & inferior. 2. Quid vero, si ista equalitas census indicet minoritatem *Petri*, ut quia Apostoli alii liberi à censu erant, ut & textus indicat, quod *censum dare non sit filiorum Regis, sed servorum & inferiorum*; ideo Christus cum *Petro* se subjecit inferioribus, quod aliis Apostolis non præcepit; 3. sed & Apostoli, cum idem argumentum conciperent, quod *Eccius*, suspicantes *Petrum* ob id primum fore, ceperunt querere, *quis esset major*? Acceperunt autem solutionem argumenti ejusdem per interpretationem sequenti capite, *prohibiti, ne quis major inter eos esse cuperet*. Apostoli autem solutionem quidem acceperunt; sed *Eccius* forte major Apostolis, & etiam Christo *inconclusibilis*, non est contentus solutione Christi, adhuc versat quæstionem, & determinat partem contrariam Christo,

Christo, laudabili modo Scholasticorum, & invenit cum suis mendacibus Sophistis novum genus illusionis (distinctionis volui dicere) sacra Scriptura, dicens, non majoritatem ibi prohibitam, sed ambitionem. Cum eadem ratione dicendum sit, non servitutem, sed cupiditatem servitutis præceptam, quando dicit Christus: qui vult major esse, sit vester servus; iste enim est mos impiorum istorum depravatorum. Itaque, autore Eccio, non est necessarium, ut serviamus invicem, sed sufficit, ut cupiamus servire, sicut opus est non ambire majoritatem, est tamen majoritas adeunda. 4. Quis non rideat, si Dominus & servus aliquo casu simul capiantur, simul solvant censum æqualiter, statim hunc servum cæteris omnibus servis Dominum fieri hoc ipso casu.

4. è confirmatione
fratrum.

Ad IV. ex confirmatione fratrum Petro commissa, & indefectibili fide, Luc. XXII. 32. rogavi pro te &c. sic respondet 1. quid hoc ad primatum Petri? An fides & potestas regiminis sunt idem? E. quicumque habent fidem Petri, sunt principes & vicarii Christi; habent autem omnes fidem Petri, quia omnes credunt, quod Petrus, sicut Paulus Ephes. IV. 5. dicit: una fides &c. Non enim de fide Petri personali locutus est Christus, quia hæc cecidit; sed de fide Ecclesiæ, quam Petrus tenebat. 2. Nulla igitur per confirmationem fratrum hic potestas traditur, sed officium fraternum & charitatis commendatur, quod sine primatu impleri potest tam ad inferiores, quam superiores & æquales. E. generali sententia, nos omnes in uno Petro docemur exhortari infirmos, & consolari lapsos. 3. Retorquet in ipsum autorem ineptas nugas h. m. Si per verbum confirmare, datur primatus Petro, jam nullus est successor Petri, nisi confirmet fratres suos, ipse primo conversus & indefectibilem fidem habens. Aut ergo necessaria erit Papæ fides, & exhortandi officium, aut his verbis prorsus nihil potest gaudere, nec successor Petri haberi. Et ubi tunc erunt Pontifices, qui jam mul-

multis annis non confirmaverunt, sed fide & verbo inanes, solum fulminibus confregerunt substantias fratrum, bellis, dolis, censuris, plus quam tyranni consumpserunt? Hos necesse est, *Eccius* fateatur non fuisse successores, quare nec Pontifices. Ita fit, ut justo Dei judicio excæcentur *Eccius* & sui discipuli, dum divinas literas de spiritu fidei & officio loquentes, trahunt ad dignitatis pompam, labantur in pestilentissimos *Donatistarum* & *Pighardorum* errores, ut, si non volunt negare verba Christi, cogantur affirmare malos Pontifices non fuisse Pontifices, nec successores Petri.

V. Ex *ambulatione Petri in mari* ridiculum nectit argumentum, per mare totum mundum significari, subjiciendum Petro, qui in mari ambulaverit, eum E. esse principem Apostolorum & vicarium Christi. Festivorem consequentiam novæ Dialecticæ *Ecciana* notat hic *Lutherus*: Petrus ambulat super mare, E. successor Petri est Dominus mundi, & sequi ex eo, quod Apostoli sint mare & mundus, quia Petrus super eos ambulet, id est, eis prælatus sit.

VI. Ex *commissis Petro ovibus* Joh. XXI. 15. 16. *pasce oves* 6. ex *commissis*, idem inferre volebat *Eccius*. Respondet autem Noster, *missis ovibus*, *pascere oves*, significare aliquando, & quidem ex nova Grammatica *Eccii*, id quod *dominari*, præesse, regere secure in otio, & oves nihil curare; sic nullum esse, qui non optet pascere omnes oves Christi: aliquando, imo sæpius, *verbum Dei docere, orare pro ovibus*, exemplo bono præesse, etiam animam suam ponere pro eis, totumque se impendere, ut oves bene habeant. *Hoc modo*, inquit, *nullus est hodie, qui non in plurimam partem sollicitudinis*, imo totam sollicitudinem velit vocari quam plurimos, & totum *Primum* hoc modo libenter cedere. *Pro hoc primatu nemo certat*, nemo ad hunc aspirat, quem omnes libenter admittimus cuicunque, & non invenimus, qui admissionem nostram curet. Qui contra hunc scriberet, bene tutus esset à cen-

Fff ff

furis

furis ac homicidis istis Romanis adulatoribus, imo nec tantum possumus, ut hujus primatus commissionem, vel super tres animas, diguentur acceptare. Cur ergo nos persequuntur? *Asserimus primatum, optamus, petimusque, ut Romanus Pontifex pascat omnes oves*, tantum abest, ut nos, vel unguem latum, hanc potestatem ei imminuere velimus, ut unice ploremus, quod ne unguem quidem latum ipsi dignantur eam acceptare. Quare iterum *Eccius* depravat verba Dei, aut si integra relinquit, *Denatistarum* hæresin revocat, statuens, Pontificem non pascentem, non esse Pontificem, quia hæc verba Christi incorrupte servata officium imponunt (sane omnium maximum & periculosissimum, scilicet verbi docendi, & moriendi pro animabus) aut nihil aut Pontificem faciunt. Jam enim erat Petrus quod erat, Apostolus scilicet & primus, quando audivit officium pascendi sibi impositum.

ad dicta Patrum
truna resp.

Ad dicta Patrum, quæ post hæc inducit *Eccius*, ut *Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Leonis*, respondet similiter, ac hic sufficit ad breviter, quod *Eccius* dedit opera dicta Patrum depraver, sicut Scripturas depravavit: & male ad Pontificem Romanum trahat & inflectat, quæ in Petri laudem à Patribus dicuntur, ut quod *Ambrosius & Augustinus* Petrum semel dixerint *petram*; quia revera, quicquid de Christo ipso dicitur, mox de quolibet ejus membro vero & proprio dici potest. Hic tamen sensus non est primus & principalis &c.

Quæ in *Resoluzione super Propos. XIII. de potestate Papæ*, disputavit Noster, nolo commemorare, cum eodem recidant, & distinctius multo in *Apologia cit. contra malignum Eccii judicium* ea edisseruerit. Plura vid. in Sect. I. ad an. 1519. p. 10. seqq. Nec illa repetimus, quæ in annotat. ad Matth. XVI. Tom. IV. Jen. Lat. habentur.

Tom. I. Jen. Lat. f. 228-233, & fol. 311. 336. Tom. IV. Jen. Lat. f. 380. seqq.

S. X.

§. X.

In Responsione ad librum Ambrosii Catharini provocat ad *Facies regis*
ea, qua Matth. XVI. antea dixit, & ex concessis à Catharino, quod *Antichristi*
 Christus 1. de Petra & Ecclesia loquatur, 2. fateatur Christum *ex Dan. VIII*
 promittere adversus eandem Ecclesiam & Petram non prævali-
 turas esse portas inferi, arguit, multisque syllogismis concludit,
 Papam non posse intelligi, utpote peccatorem, cui portæ inferi
 prævaleant. Postea ex Dan. VIII. *Et post regnum illorum, obscu-*
rantibus eos prevaricationibus, stabit Rex potens faciebus &c.
 probat *Papam Rom. esse Antichristum*, regnaturum in doctrina
 hominum, adversus illuminationem Evangelii in populo Chri-
 sti; eum enim dici *potentem faciebus* multis, non cornibus, ne-
 que ferro, nec armis. Quod minime quadret in Turcam, nec
 ulli regno, quod vi & armis paretur: multo minus regno Chri-
 sti, consistenti prorsus sine facie in spiritu. Indigitari igitur re-
 gnum *mirabile & monstruosum*, quod neque spirituale, neque se-
 culare, nec spiritualibus nec temporalibus armis partum sit, sed
faciebus, id est, externa specie, apparentia, pompa, h. e. super-
 stitionibus, ritibus, ceremoniis, quæ ad faciem exponuntur in
 vestibus, cibis, personis, domibus, gestibus & similibus. Duo-
 decim autem facies pingit. 1. *Papæ* triplici corona superbi, & *Car-*
dinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Præ-
positorum, Decanorum &c. facies innumeras, in quibus jactetur
 Eccles. Romanæ status. 2. *opes Ecclesiæ, patrimonium crucifixi,*
 res Ecclesiæ, bona spiritualia; nam hujus regni potentia fecit,
 ut etiam temporalia sint spiritualia, mundana sint ecclesiastica,
 corporalia sint cœlestia. In confesso est, mundi opes plus dimi-
 dio possideri ab Ecclesiasticis, tot urbibus, castris, ducatibus,
 regnis, regionibus, huic regi incorporatis. Nec tamen hoc con-
 tenti, etiam Laicorum opes suas esse præsumunt, tentantes &
 ipsi evacuare omnes principatus & potestates & magistratus
 pro libidine, & regiones, provincias &c. sibi subicere, exsugere &

Fff ff 2

expi-

expilare indulgentiis, bullis, confessionalibus, dispensationibus, indultis. 3. *facies adium & palatiorum*, ut Regum palatia cum illis conferre erubescas. 4. *ipse habitus & vestis*, auro & gemmis distincta, rasus vertex, cucullus &c. 5. perdendæ pecuniæ artificium in templis, monasteriis, sacellis, altaribus erigendis, ornandis, locupletandis. 6. *eorum, quæ in templis sunt & geruntur*, *quæstus & lucri prosperrima negotia*: 7. universus ille *abusus Missæ cum solennibus suis*, vigiliis, anniversariis, foundationibus, sepulturis, & totum negotium pro defunctis celebratum. 8. *delectus ciborum & jejuniorum*, 9. *multiplicatio festorum dierum*, 10. *cælibatus & monastica castitatis multitudo*, 11. *reliquiarum veneratio*, 12. *Universitates*, in quibus perjuria & abusus nominis Dei sunt introitus, deinde conversatio in omne scelus libera & licentiosissima; sub iis tamen peccatis & perditionibus promittitur scientia & sapientia, etiam præstituti titulis & gradibus vice scilicet mercedum.

Hanc *larvalem faciem* prædixisse putat Johannem Apoc. IX. cujus verba explicat, & postea ad Danielelem redit, & verba *intelligens propositionum* de legibus, moribus & studiis Papæ exponit, quæ sint mera figmenta & mendacia, sicut *Petrus* prædixit 2. Epist. II. 1. & *Paulus* 1. Tim. IV. 1. 2. Quando pro fide Christi docentur ceremoniæ, pro spiritu statuuntur traditiones hominum. *Hic*, inquit, *impletur illud Pauli*: qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, quasi sit Deus. *An non est hoc in templo Dei sedere*, in tota Ecclesia sese Magistrum profiteri? Quid est *templum Dei*? nunquid lapides & ligna? Nonne Paulus dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*? Neque enim tempore Pauli ulla erat domus, quæ templum Dei diceretur, ut nunc dicuntur. *Sedere* autem quid est, nisi regnare, docere & judicare? Quis autem unquam ab initio Ecclesiæ sese ausus est Magistrum totius Ecclesiæ appellare, nisi solus Pa-
pa?

*Antichristi
nota è 2.
Thess. II. 4.
ostenduntur.*

*1. Cor. III. 16.
seq.*

pa? Nullus sanctorum, nullus hæreticorum tam horrendam superbiam vocem unquam sonuit. *Paulus se Magistrum Gentium in fide & veritate jactat*, sed non Magistrum Ecclesiæ. Nonne autem ostendit se, *quasi sit Deus*, dum pro verbis Christi, sua docet, & pro justitia fidei, justitiam Papisticam statuit? Numquid super Deum naturaliter extolli potest? absit, sed super *Deum dictum* (ait Paulus) id est, super verbum Dei prædicatum. Deus enim dicitur, quando prædicatur & creditur. Super hunc Deum Papa jam diu elevatus sedet, quia in cordibus fidelium loco dicendi & credendi Dei, ipse se dicit, & prædicat. Ita quod Paulus ait, *aut quod colitur*, Græce *σεβασμῶν*, id est, cultus, seu id quod colitur, seu ipsa cultura, ut intelligas super Deum non simpliciter, sed super culturam Dei, seu super id, quod à nobis ut Deus colitur, extollendum. Q. d. in cordibus hominum præferetur Deo, hoc est, verbum suum plus timebitur, quam verbum Dei, & ei plus obedient magisque colent quam Deum verum. Nonne hæc nulli hominum possunt nisi Papæ convenire? passim Dei præceptum & verbum contemnitur, at Papæ verbum nemo non paver, plane nullus est Deus, neque in cælo neque in terra, cujus verbum tanta obedientia capiatur, quantum verbum Papæ, quod experientia tam clare monstrat, ut insensatus negare non possit. Deinde, quis unquam se in nomine Christi venire dixit, ut solus Papa? Ipse enim unus omnium & primus sese *vicarium Christi*, *vicarium Dei in terris*, intolerabili blasphemia & superbia jactat. Quid enim est esse vicarium Dei nisi vice Dei sedere? Quid est vice Dei sedere, nisi ostendere se, quasi sit Deus? An adhuc dubitas Pauli Prophetiam impletam, quando adeo similia sunt, vicarius Dei, & ostendere se, quasi sit Deus? Recte ergo prædixit, venturos istos Antichristi Apostolos, in nomine tuo. Cæteri enim hæretici, etsi veritatem simularent, nunquam tamen Christi proprium nomen prætexuerunt, hoc enim soli Antichristo reservabatur.

Fff ff 3

Unde

Unde Christus Matth. XXIV. non contentus prædixisse, qui venturi essent in nomine suo, addit, seipsum explicans, dicentes, *ego sum Christus*. Ac si dicat, nomen meum proprium prætexent, quod est Christus, dicentes, se esse me Christum. At jam obtinuerunt illud, nam è Papa & Christo unum fecerunt, garrientes, è Papa & Christo mixtum esse illum unum hominem, nec separandum esse Christum à Papa. O blasphemiarum blasphemia furiosissima, impius ac sceleratus cynædus, usurarius, sacrilegus, cruentissimus tyrannus, Christo Deo miscetur, & unam cum ipso efficitur. Veni Domine Jesu Christe, & pone finem ac modum his horrendis horroribus, Amen. Et quid facit tamen ille *Vicarius Dei*, in loco Dei sedens? Nunquid principis sui mandata facit & docet? Nequaquam. Quid ergo? sua propria solum docet, nec ipsa tamen facit. Alioqui si Dei mandata doceret, vicarius Dei non esset. Vicarius enim absentis Principis est, ideo qua parte vicarius Dei regnat, prorsus nullus est Deus; ubi enim Deus præsens est, vicario non est opus, sed duntaxat ministris, sicut Apostoli se se non vicarios, sed ministros Dei appellaverunt. Igitur impletus est sermo Pauli, videmus *hominem peccati & filium perditionis sedere in templo Dei, ostendentem se quasi sit Deus, adversantem & elevatum super omnem Dei sermonem & cultum*. Quid enim veritati Evangelicæ magis adversum quam facies illæ & facierum doctrina? At colitur, timetur, servatur ipsa ultra & supra omne verbum Dei, idque non nisi in nomine Domini. His data occasione ita dictis, redit ad Daniel. l. c. v. 23. & vocabulum *חִדּוּת* (*Hidoth*) explicat, atque id significare *enigma*, obscurum sermonem, qui eludat sensum, si secundum faciem percipiatur: & dici Papam *intelligentem propositionum*, id est, qui propositis, compositis, aliud sonantibus verbis alios ludat, non apertis & simplicibus, qualibus regnum Christi & hominum administratur. Hoc ex præcedentibus *faciebus* abunde intelligi.

telligi. Cum enim *universum jus Papa* nihil agat, nisi quod has facies disponat, & in *faciebus* nil nisi deceptio & illusio sit, per quas veritas fidei in Evangelio extingatur, satis patere, Papæ doctrinam esse deceptoriam & illusoriam. (juxta Ephes. IV. 14. Coloss. II. 8. 2. Pet. III. 3.) 3. *insigne* monstrifici regni hujus omnibus aliis dissimilis ponit in eo, quod Daniel dicat *roborari ejus efficaciam non in efficacia sua*, seu propria, sed aliena, id est, non armis, nec Evangelii Christi potentia, sed *chidorb*, doctrinis suis per aliorum operationem, nempe *Satana*, in *signis & prodigiis mendacibus*, 2. Thess. II. 9. cujus prima operatio fuit *in dissidio cum Ecclesia Græca*, contra quam Romana se falsis Scripturis & causis muniens prævaluerit, & in magistram fidei matremque Ecclesiæ erexerit, & confirmaverit, ac deinceps neminem non oppresserit incredibili successu, quicumque ejus legibus, statutis, ceremoniis, merisque libidinibus repugnaret, & fulmine terrifico Bullarum: *si quis ausu temerario contraire præsumserit, indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli sese noverit incursum.* Hæc signa & opera credita à Deo venire, cum tamen Satanæ essent potentissima & fallacissima portenta. Huc pertinent *prodigia de defunctorum apparitionibus, adjurationibus, responsisque spirituum*, quibus factum, ut Papa etiam mortuorum Rex evaderet, & in purgatorio jam regnet. *Efficacia aliena* quoque conspicitur ministerio aliorum gemina, una *Clericorum*, qui Papam non posse errare credunt, & quæ ei vel per somnium vel crapulam exciderant, defendunt, à nemine eum judicandum contendunt; altera *Laicorum*, seu brachium seculare, quod ad nutum suum habet; imperat enim Papa imperiis, regnis & principibus, *dominationem spernit*, 2. Pet. II. 10. blasphemat glorias & majestates, excommunicat &c. 4. *vastat mirabilia*, ut Daniel pergit, & *robustos, & populum sanctorum*, pro fide opera, pro veritate speciem, pro mysterio faciem, pro Evan-

Evan-

Evangelio propositiones, pro sinceritate astutias, pro verbo Dei decreta sua docens, ac si conscientias perdens & spiritum vastans. Nulla enim auctoritate Scripturæ teneri & capi vult, sed omnes Scripturas ad suam libidinem torquet, depravat, corrumpit, perdit, sicut sequitur: *& ad sensum suum erit*; vult enim omnibus esse superior, super Concilium & nullius iudicio subiacere. 5. *Prosperabitur dolus in manu ejus*. Plane hic Daniel *Satanam* indicat, qui dolum prosperari in manu hujus rei dicit; non enim sua efficacia efficax est, nec sua manus dirigit dolum; sed *Satanas* manum ejus ducet, & sic dirigitur dolus in manu ejus. Quomodo potuit regnum & opera *Papa* melius describere? Quod non est nisi *meri doli*, & tamen felix & prosperum, adeo, ut etiam apertis mendaciis & ludicris rebus infatuet mundum, ut patet vel in solis indulgentiis. Nam quicquid audet, quantumvis impurum mendacium, *Papa*, tamen prosperatur. Igitur *dolus in manu ejus* proprie ad *depravandas Scripturas pertinet*; hic enim dejecit stellas cœli, & conculcavit eas. Atque in hoc dolo, quam felix fuerit, omnium experientia evidenter testatur, quicquid enim voluit, hoc dixit exponendo; quicquid autem dixit exponendo, hoc pro Dei oraculo habitum est, & habetur usque hodie, ut negationibus, nec Scripturis, sed nec ipsis evidentissimis experientiis contra niti liceret, donec & communem humanæ naturæ sensum omnibus abstulerit & ea tentarit, quæ si gentiles olim tentassent, insanire visi fuissent. Hinc 6. *in corde suo magnificabitur*, ut arroget sibi dominium mundi, jura terreni simul & cœlestis imperii, atque hoc triplex illa testatur corona & fastus luxuria totius mundi luxuriosior: deponat Principes, Reges, Episcopos, immo, quod maximum est 7. contra Principem Principum, Christum, steter, ei resistat, ejus verbum extinguat, proprio verbo in ipsius locum posito, quod Apostolus dicit: *sedebit in templo Dei, ostendens se, quasi sit Deus*. Et iterum: *qui*
adver-

adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.

Tom. II. Gen. Lat. fol. 371 -- 399.

§. XI.

Possent, si necesse esset, plurima ex omnibus fere *Luthe-* *Maledicen-*
ri scriptis similia hisce produci; sed hæc forte satis valida sunt, *dum merito*
 & sufficiunt. *Lutherum* enim vocatum esse à Deo, ad detegen- *Papa.*
 dam & impugnandam abominationem Papatus, alibi diximus,
 & res ipsa docuit. Quare vitio ei verti minime debet, quod
 gravissimis verbis & argumentis in eum inestus fuerit. Qua
 de re ipsum audire placet in Comment. ad Genes. XLIII. ubi
 cum de promissionibus & bonis spiritualibus Novi Test. disse-
 ruisset, hunc in modum scripsit: *hæc dignitas magnifice exagge-*
randa est, ac tanto quidem magis, quanto horribilius à Papa ob-
scurata & oppressa fuit. -- In primis vero magnifice nos effera-
 mus, & urgeamus contra Papam hanc gloriam nostram, ad
 destruendum horribile illud regnum, cujus monstra, non mihi
 si centum linguæ sint, oraque centum, dicendo possem con-
 sequi. Neque quicquam tam acerbum & vehemens in ipsum
 dici potest, quod non impietas & abominatio illa, stans in loco
 sancto, superarit. Ego enim laqueis illis Pontificiis miserabiliter
 irretitus hæsi, ac serio omnia egi ac sustinui, quæ hodie maxima
 pars in regno Pontificio nec curat, nec servat amplius. Ideo
 irascatur, exsecretur, & maledicat Papæ, qui potest. Plus enim
 nocuit regno Christi & Ecclesiæ quam Mahumeth. Turca cor-
 pus occidit, & bona Christianorum diripit & vastat, sed Papa
 longe crudelius urget suum Alcoranum, ut abnegetur Christus.
 Uterque quidem est hostis Ecclesiæ, & mancipium Sathanæ,
 quia uterque abjicit Evangelium, sed Papa vult adorari suos
 canones & decretales, ut opprimatur & deleatur lux Evangelii.
 Pereat igitur in æternum, & maledicant omnes Angeli & sancti
 huic portento. Nam mihi quidem pereundum fuisset in spelun-

Ggg gg

ca

ca illa latronum, nisi divinitus liberatus essem. Nihil enim noram de promissionibus, & Sacramentorum usu, sicut supra Monachi vocem recitavi, qui mirabatur tot Doctores in Papatu nihil unquam docuisse de promissione Dei. Quin etiam ad vocabulum illud & nomen Salvatoris nostri Jesu Christi totus cohorrescebam, propterea quod sentiebam eum mihi iudicem propositum esse, non salvatorem. Magis mirabar & suspiciebam sacerdotem in longa veste, aut sacrificantem pro vivis & mortuis, quam doctrinam de Christo cum promissionibus & Sacramentis, quam nihil quicquam ad me attingere putabam.

Enarrat. in Genes. 48. pag. 965. & pag. 975. edit. in 8vo.

§. XII.

*Fugiendus
E. Papatus
& ex Babel
exeundum.*

Cum igitur Papatus tam abominabilis & damnabilis res sit, eum non solum *quicumque serio afficitur pietate*, detestari (d) sed & fugere debet quam ocyssime ex ista Babylone, & exhorrescere vel tantum audito nomine Papatus: nam tanta est ejus abominatio & impietas, ut nemo eam verbis consequi possit; *neque cernitur nisi oculis spiritualibus*. Quare rumpendum obsequium Papæ ab incautis & imperitis promissum, & exeundum ex Babylone Pontificia. *Papa* quidem (e) *urget in omnibus suis decretis obedientiam*, qui vult esse summus Pontifex, & Christi vicarius, ac addit horrenda fulmina: futurum, nisi quis obediat, ut vergat in periculum animarum talis inobedientia. Promissiones quoque addit splendoras, qui currunt ad numina divorum Petri & Pauli, habituros plenariam remissionem omnium peccatorum. Talibus promissionibus ornat omnia sua opera, cultus sanctorum, invocationes sanctorum, Missas &c. ut invitet simplices ad obedientiam: ac invenit sane populum, proh dolor nimis obedientem. Quot enim hominum millia in hac obedientia, dum se recta via ad cælum ire judicabant, demersa sunt ad infernum? Ersi autem impii Doctores horribile iudicium Dei ob has imposturas sentient, tamen *turba*, quæ eos secuta,

non ideo est excusata. Debebant enim circumspicere, num in *obedit, non* talibus mandatis esset, quod hic Moses dicit: sicut Dominus *est excusa-* dixit. Ubiunque enim hoc non est, ibi non est Dei sed Satanæ *bilis.* obedientia. Ad hunc modum Papa implevit mundum satanica obedientia: præcepit enim non quæ Deus iussit, sed quæ ipse excogitavit. Inde accidit, ut tota ejus religio, non vera sed factitia, ac mera hypocrisis esset. Meminerimus igitur mandati in Apocalypsi, ubi dicitur: exite de medio Babylonis popule meus, ne participes vos faciatis peccatorum ejus, & plagarum. Nam peccata ejus usque ad cælum pertingunt, & meminit Deus iniquitatum ejus. Quomodo autem exhibimus? sic nimirum: Si non pariamur nos tanquam ursum duci naribus; sed cum aliquid Pontifex mandat, non statim obsequamur: verum prius interrogemus & dicamus: Domine Pontifex, audi te hoc præcipere, sed ostende mihi verbum, an etiam Dominus dixerit, tum parebo libens: sed si Dominus non dixerit, & mandatum tuum cum Dei verbo pugnat, sicut cum vota impia dicis valere, cum præcipis abstinere à conjugio, à cibis &c. non parebo. Habeo enim aliud mandatum Dei, id sequar &c.

Sed inquit: sum ego Dominus Ecclesiæ, ac dictum est: qui vos audit, me audit. Scimus sane Pontificem utrumque affectare, ut & Ecclesiæ & mundi Dominus sit; sed hoc Christus manifeste ei negavit, cum dixit Apostolis: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Et Petrus dicit: *non dominantes in clerum.* Illud autem, quod Ecclesiæ Dominus sit, prober ipse verbo Dei, & credemus ei. Nos autem scimus aliam Christi sententiam: *qui major est inter vos, sit minor, & serviat aliis.* Ut scilicet totum dominium non penes homines, sed simpliciter & tantum penes verbum sit. Illud regnare in Ecclesia debet. Hic enim habemus manifestum mandatum de cælo: *hunc audite.* Quod igitur Pontifex etiam Dominus verbi vult esse, quod vult ligare & solvere omnia ex arbitrio, hoc est leges ponere &

Ggg gg 2

man-

Papa iudi-
candus &
damnan-
dus.

mandare (sic enim Christi verba filius peccati falso interpreta-
tur) hoc sane apud nos non obtinebit. Immo *anathema* sunt omnes
isti, apud quos hoc obtinet. Non enim à Christo eam potesta-
tem accepit, sed imprudenter & impie eam sibi arrogat. - Me-
rito igitur pugnamus non tanquam contra Papam, sed tanquam
contra hostem & adversarium Christi, quia constituit articulos
pugnantes cum Evangelio Christi; quia simpliciter tollit fidem,
& hoc tantum agit, ut stabiliat suam tyrannidem, non commu-
ni modo, sicut tyranni insidiantur bonis & corporibus: sed
Papa etiam animas perdit & tradit gehennæ. Tantum itaque
abest, ut auctoritati Papæ pareamus, ut potius eam damnemus
& judicemus, ut Dominus ait Hof. II. *judicate matrem vestram*
&c. (f) Et si enim hoc fit cum contumelia matris; tamen felix
contumelia illa dicenda est, quæ cum salute animæ conjuncta
est. Reprehenditur enim peccatum, ut emendetur, accusatur
Synagoga, ut resipiscat, nec pergat Deum contumelia afficere,
& sibi accersat exitium. Sed hæc ipsa causa est ingentis odii &
invidiæ, qua Ecclesia omnibus temporibus gravatur; augustum
enim est nomen matris &c. & Pontifex hodie auctoritate, quam
in Ecclesia habet, nos premit, & non vult redigi in ordinem à
nobis, sed accusat nos injustæ desertionis, sibi autem splendi-
dissimum hunc titulum sumit, quem hic Propheta *Synagoga* tri-
buit, dum *matrem* vocat. Ac Sycophantæ Pontificii in eo sibi
palmarium putant positum, si auctoritatem Ecclesiæ verbis in
cælum usque tollant, & illa veteris disciplinæ vincula commen-
dent simplicibus. - Sed meminerimus à Spiritu S. mandari hic
judicium Matris, quod non solum non sit Dei uxor, sed turpis
Satanæ adultera. Sic Pontifex usurpat nomen Ecclesiæ, nos
autem damnat tanquam hæreticos. Hanc autem blasphemiam
nullo modo vult dissimulari Spiritus S. sed vult libere
pronunciari à nobis, quod Pontifex cum suis sit Satanæ Eccle-
sia. Siquidem Evangelio se opponit, & statuit aliam justitiam,
quam

quam quæ est per Filium Dei. Hic dupliciter offenditur Ecclesia Satanæ. Primum non potest ferre hanc de se sententiam. Secundo non vult talem sententiam ab iis ferri, quorum se parentem esse videt. Itaque movet pugnas, & hanc injuriam varie conatur ulcisci. Sed vera Ecclesia non potest abjicere mandatum Dei. Itaque cogitur pronunciare contra matrem, hanc de adulterio sententiam, quod ista religio, quam sequitur, nihil sit nisi fœda idololatria, quam Propheta adulterio comparat.

(d) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 66. b.* (e) *Enarrat. ad Genes. 12. p. 68. f.*

(f) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 610. a, b.*

§. XIII.

Ne vero temere, præcipitanter & ignoranter Papam judicemus & damnemus, ut Papa nos judicet ac damnat, ex voce & verbo Domini ipse cum regno suo examinandus est. *Ad regulam hanc regulam examina Pontificem*, tuentem se nomine Ecclesiæ, & vide, num secundum legem divinitus sibi præscriptam Pontifex doceat. *Si contra docet*, nec incedit recta via, & tamen sedet in regno, non ideo deturbes eum de suo loco, sicut Ahas, *non ideo quia idololatra est, occidi debet à subditis*. Hoc autem facias, *ne sequaris ejus imperium*, ne doctrinam impiam approbes, ne facias quæ Episcopus Romanus jubet contra Scripturam fieri. In hoc enim casu absolvit nos omnes Deus ab obedientia; sic enim dicit: ordino tibi pastorem, cui obedias tanquam mihi. Sed fieri potest, ut velit abuti ordinatione Dei contra verbum, ibi tibi relinquo hoc præsidium, hoc remedium tibi subministro, ut dicas: *oportet Deo magis obedire quam hominibus*. Igitur etsi Reges sunt, etsi sunt Pontifices, eatenus audiendi, & eis obtemperandum est, quatenus incedunt juxta regulam verbi. Porro usu discimus, nihil esse crebrius nec vulgatius, quam abuti potestate, tum in politia, tum Ecclesia. Itaque rarissime sunt, qui legitime utuntur autoritate, quam sive in Ec-

Ggg gg 3

clesia,

clesia, siue Policia habent. Ratio est, quia maior pars hominum, servit cupiditatibus, & patitur se regi & gubernari à Satana. Hinc fit, quod videmus *Pontificem & Episcopos* de doctrina nihil esse sollicitos; omnem autem curam eo convertere, ut augeant gloriam suam, dignitates, opes, voluptates. Hic quid faciendum est subditis? Num per seditionem eos ejicient, aut occident? Non, sed sinant eos regere, & tantum observent & caveant os eorum, sicut apud Matthæum Christus quoque dicit: *super cathedram Moisi sedent* (quanquam longe dispar ratio est nostrorum Pontificum.) Hinc relinquit eis sessionem & auctoritatem docendi, nec vult eam violari, concedit quoque clavem scientiæ. Hoc autem damnat, quod dum clavem scientiæ habent, & sedent in officio, tamen præterquam, quod ipsi se ipsos non docent, etiam alios seducunt. Quanquam hic etiam *Ecclesia* reliqua sui juris meminisse debet. Quia enim nostri Episcopi neque docent ipsi, nec sanis Doctoribus relinquunt locum docendi, & tamen fruuntur beneficiis Ecclesiarum, atque iis abutuntur ad foedissimas voluptates suas, eleganter & vere multi disputant, non esse beneficium separandum ab officio. Ideo reliqua Ecclesia pro suo jure, tantum potest Papistarum facultatibus detrahere, ut pii Doctores habeant unde vivant. Hoc enim omnibus modis cavendum est, ne ministerium prorsus aboleatur. Explodendus est itaque error illi, quem impii *Canonista* impudentissime statuunt, cum dicere audent: *non esse præsumendum, quod apex tanta celsitudinis erret.* Hoc est quasi primum principium stolidorum *Canonistarum*, ex quo hoc monstrum enatum est, quod nunc in Papatu videmus & exaceramur, quod sine fronte quicquid in mentem venit, & ad numos parandos idoneum fuit, tanquam articulos fidei statuerunt. Nos autem sic dicimus, vocetur sane apex celsitudinis ista tyrannis, quam contra Scripturam & omnem æquitatem sibi usurpat, & ut plus tribuam, *singamus eum etiam divina ordina-*

Matth. 23,
2.

us Ecclesia.

*Canonista-
rum error.*

dina-

dinatione esse Pontificem, & *obtinere primatum* in Ecclesia. Adhuc plus tribuam, si ita postulat Pontifex, *faciamus eum san- Angelum de cælo*, quid possum de eo sentire præclarum magis? Sed etiam si Angelus sit, *tamen anathema* eum esse pronunciat Paulus Gal. I. cum aliud Evangelium evangelizat. Sic pastor est divinitus pastor, *Rex* est divinitus Rex. Hæc sic largiamur Pontifici quoque, quasi vera autoritate præsit. Sed conditio de qua diximus, necessitatem affert, ut *distingueamus inter rem & usum*. *Dist. inter rem & usum.* Rem voco autoritatem divinam, eam etsi concedam Pontifici- bus, tamen usum non concedo, quia rem divinam manifeste trahunt in abusum. Non utuntur autoritate sua secundum voluntatem Dei, pro gloria verbi, sed pro sua gloria. Non igitur obligat nos eorum autoritas, etiam si sit, ut dixi, autoritas Angeli de cælis, sed cum bona conscientia discedimus ab eis, ne inobedientes fiamus summæ autoritati & majestati, quæ est Deus. Quod si Pontifices non pugnarent contra doctrinam Christi, *si nobiscum statuerent*, justificari nos solo pretio sanguinis Christi, & non docerent negotiari homines propriis meritis & operibus, tunc *libenter agnoscerem autoritatem eorum*, & confiterer eos re sancta, sancte etiam uti. Sed cum *abusus manifestus* sit, nihil eos juvat, quod sanctam rem habeant, sicut gloriantur. Hæc enim est summa summarum, quod *Papa non minus quam omnes alii homines*, etiam si Angelicam dignitatem haberet, *alligatus est ad verbum Dei*. Hoc cum manifeste impugnet, cum extrema crudelitate impietates suas defendat, non sublevat eum sedes, non autoritas, sed est *anathema*, sicut Paulus dicit. Vulgarissimum est inter Doctores Papatus, quod *Papa sit supra verbum* seu Scripturam, & possit pro arbitrio in lege divina dispensare. Hinc de Ecclesia & conscientiis constituit, quicquid voluit. Hoc cum nos, freti verbo Domini, dam- nemus, & coacti mandato Domini, graviter refutemus, excom- municamur. Ab hac sententia non debemus discedere, sed cum

cum

cum Psalm. hoc dicere: Quod si Pontifices custodierint Testamentum, & testimonia, quæ Dominus docet, audiemus eos. Si non custodierint, non audiemus, nec venerabimur in eis, quantumvis sanctam rem, qua sic fœde & impie abutuntur. - Ad hunc modum in ordinem redigi debet Papa; sed experimur, nullum veneni genus eum sic formidare, & odisse, sicut Scripturam. Itaque totis viribus, etiamsi aliud simulet, obnuitur, ne fiat Synodus, seu Concilium, tantum ideo, quia hanc quæstionem metuit, ne quæratur in Synodo: utrum Papa sit iudicandus per Scripturam, an Scriptura per Concilium?

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 511. seqq. in Psalm. 122.

§. XIV.

An Papa
ferendus in
Ecclesia?

Sed hic quæstio est: si non occidere licet Papam, an eum liceat ferre in Ecclesia, & restituere necesse sit Monasteria? Quia enim dicitur Matth. XIII. 30. *finite utraq; crescere* (zizania & triticum) *usque ad messem*, hoc volunt intelligi, *man soll sie lassen frey leben/ wie sie wollen/ ungestrafft und ungehindert &c.* Sic enim exponunt, *finite*, id est, permittite. Hoc si verum est, tunc jam non licet eos arguere, sed teneremur tacere, & illis concedere omnia. Item cur ipsi non sinunt utraque (id est, nos pariter) crescere? Ipsi enim nos extinguere volunt. Ergo contra Christum pugnant, quod nos evellunt & soli volunt crescere &c. Et quare etiam non eadem ratione dicunt, Christum esse autorem peccati ipsorum, quia prohibuerit evelli eos, & sic videtur confirmare eos. Igitur ista cogitatio nihil valet. Est enim hoc verbum, *finite*, non confirmationis, & approbationis illorum, sed consolationis & exhortationis nostræ, ad patientiam, q. d. quia ferre cogimini istos malos, & sine malis Ecclesiam non habebitis, ideo patientes estote, *finite, laßt gehen/ was ihr nicht halten könnt.* Sic alibi de Pharisæis dicit: *finite eos, quia cæci sunt.* Et Matth. VIII. *finite mortuos sepelire mortuos suos, &c.* Quare per hoc non prohibet, illos arguere, vitare, excommu-

commu-

communicare, &c. Sed quando correptionem ipsi non curant, finite illos, habete patientiam, nec ideo desperetis de Ecclesia: quia quod vos judicare non potestis, mihi relinquit. Qui vos contemnunt, hos ego inveniam &c. Et sic sententia hujus loci est *de patientia sanctorum*, qui coguntur ferre scandala & malos in Ecclesia, sicut dicit: *de nobis exierunt, de nobis non fuerunt*. Ideo *evellere malos* ex Ecclesia, nihil aliud est quam Ecclesiam *evellere* sine malis habere velle, quod est impossibile. Simul tamen stat, *los ex Ecclesia* quod eos non toleramus, non probamus, non sinimus cum pace esse *sua quid sit?* *zizania*, sed increpamus, excommunicamus, facimus quae possumus. Sic Adam non sinebat Cain irreprehensum abire, & tamen sinebat eum incorrigibilem abire vias suas. Et Christus non sinebat Judam sine correptione, & tamen incorrectum dimittebat. Et ita verbum *sinendi*, nihil pro illis, sed contra illos est, *verbum sinendi non* scilicet ut non concedamus licentiam peccandi, neque consentiamus. Sed si pergunt peccare, nostris monitis contemptis, *pro Papis* tunc sinimus eos ire viam suam. Sic *Papatum* nos sinimus facere, quod volunt, id est, non probamus eorum doctrinam & vitam, & tamen quia nolunt, sinimus eos ire. Quare ad questionem, *an Papam licet ferre, & restituere monasteria?* respondetur, non licet ita ferre, ut probemus & consentiamus, sed si per vim rapuerint, & fecerint, hoc cogimur ferre. Et hoc est, *sinere utraque crescere*, & non evellere. Quia si deberemus eos sinere in peccato consentiendo, tunc vere triticum eradicaremus, & ipsos solos crescere faceremus, sicut volunt. Nunc autem non sinimus eos consentiendo, sed repudiando & separando nos ab eis dicentes, *wolan / wir müssen doch unter bösen Leuten seyn* / ut I. Cor. V. *alioqui de mundo exire oportebit, so seyns eben so mehr diese als andere*. Judicet autem eos Deus suo tempore, qui nos contemnunt. Quare illi falso allegant contra nos, quod illos sinere deberemus, id est, concedere, ut faciant quod volunt, scilicet, ut impunes sint etiam à verbo correctionis,

Hhh hh

quasi

quasi benefacientes. Cum Christus velit eos sinere, tanquam *incorrigibiliter mala facientes*, tanquam rejectos à consortio spiritualium, illi petunt (hoc verbo) concessam licentiam peccandi. Christus eodem verbo significat punitam & damnatam licentiam peccandi, plane contrario sensu. Sed hoc est pulchrum & notatu dignum, quod illi ipsi, qui hoc loco nituntur, & causantur oportere zizania sinere crescere, *per hoc ipsum fatentur sese zizania esse*. Quia ad quid per hunc locum volunt defendere sese, ut sinantur crescere, nisi quod per os proprium volunt nos docere, sese esse zizania. Et tamen cum nos contra eos docemus, tanquam contra zizania, volunt Ecclesia seu triticum esse. Igitur ex verbis suis condemnantur, quod simul volunt esse zizania & triticum, id est, impii & Ecclesia. *Wäre eine sein Zwick müßte/* quando periculum sentirent, utrinque possint sese in Proteum vertere, & quando velint Ecclesia esse, contra, quando velint zizania esse, & utrinque liberi & securi. *Wer mocht des nichte wie sie es machen/ und wolten/ so müß es recht seyn/ &c.*

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 339. b. 340. a.

§. XV.

Quomodo
Reges &
Principes
Christiani
resistere de-
beant idolo
Romano?

Nequaquam igitur libere & impune grassari sinamus Papam tyrannum, sed omnibus licitis mediis ei resistamus oportet. Quod in primis officii ratio exigit Magistratus Politici Christiani & Ministerii Evangelici. De utroque placet nostrum audire. De priore sic ait (g) in *Affertione omnium articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum*, posteaquam probaverat, *preliari adversus Turcas, esse repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos*. Quanto, inquit, *rectius faceremus, si primum orationibus, imo totius vite mutata ratione Deum propitium faceremus*. Tam idolo illi Romano, *Cesar & Principes modum ponerent tyrannidis, illusionis, perditionis animarum*. Nam ut & ego prophetem semel, licet non audiar, quod scio, *nisi Romanus Pontifex*

fox

seu redigatur in ordinem, actum est de omni re Christiana, fugiat, sicut Christus docuit, in montes, qui poterit, aut vitam hominibus Romanis cum fiducia offerat in mortem. Nihil nisi peccatum & perditionem Papatus operari potest, quid vis amplius? At quis rediget eum in ordinem? Christus illustratione adventus sui, & non alius. Domine, quis credit auditui nostro? Qui habet aures audiendi, audiat & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cælo valeat. Dixi.

Ministerii vero Evangelici est doctrinam de fide & articulo de Justificatione sedulo inculcare, qua sola prædicatione debilitatur, ruit & evertitur Papatus. Initio prædicationis nostræ (h) currebat doctrina de fide felicissime, corruiebant indulgentia, purgatorium, vota, missa, & similes abominationes, quæ trahebant secum ruinam totius Papatus. Nemo poterat nos juste condemnare. Doctrina enim erat pura, erigens & consolans multas conscientias, quæ diu oppressæ fuerant humanis traditionibus sub Papatu. Itaque multi agebant Deo gratias, quod per Evangelium, quod gratia Dei tum primi prædicabamus, ex his laqueis & carnificina conscientiarum erepti essent. Coortis autem spiritibus fanaticis, qui negatione corporalis præsentia Christi in cœna, profanatione Baptismi, destructione imaginum & abrogatione omnium ceremoniarum, semel evertere ac prorsus sepelire Papatum, atque sic famam nostram obscurare volebant, mox male audire cœpit doctrina nostra, multosque offendit, & Papistis spem fecit, nos propediem interituros cum doctrina, quæ sibi ipsi non constet. Ita plus stabilierunt fanatici Papatum, quam everterunt. Si vero communi nobiscum consensu, ut cœperant, docuissent & diligenter urissent artic. justificationis, is unicus articulus paulatim, ut cœperat, evertisset Papatum cum suis fraternitatibus, indulgentiis, ordinibus, reliquiis, cultibus &c. Ideo tale quiddam illis accidit, quod Germanico proverbio dici solet, *für dem Hamen fischen.*

Hhh hh x

Et

Ministri
Evangelii
prædicatione
ne conjun-
cta art. de
justificat.

Et hoc res ipsa testatur. Nam eo tempore, quo primum incipiebat inclinari Papatus & ruere, nihil plane faciebant sectarii; neque enim poterant, sed tacebant. Contra, nos nihil docebamur & urgebamus præter artic. Justificationis, qui tum solus imminuebat Papæ auctoritatem, & regnum ejus devastabat. Sectarii autem ^{nevo dōgma} agitati, excitarunt illos tumultos, quibus nos fere oppresserunt, & Papistas in suis abominationibus confirmarunt. - At ajunt, Papa Antichristus est. Bene. Sed ipse rursus opponit, se habere ministerium docendi, penes se esse potestatem administrandi Sacramenta, ligandi, solvendi, eamque potestatem se hæreditario jure possidere, ut traditam per manus ab Apostolis. Ideo externis istis tumultibus non deturbatur è sede sua, sed prædicatione fidei, hoc modo: *Papa*, ego volo tibi osculari pedes, teque agnoscere summum Pontificem, si adoraveris Christum meum, & permiseris, quod per ipsius mortem & resurrectionem habeamus remissionem peccatorum & vitam æternam, non per observationem tuarum traditionum. Si hic cesseris, non adimam tibi coronam & potentiam tuam; si non, constanter clamo, *te esse Antichristum*, & affirmo, omnes tuos cultus & religiones, non solum esse abnegationem, sed etiam summam blasphemiam Dei & idololatriam. - *Sape obtuli, & adhuc offero*, me libenter velle *traditiones Papæ* ferre, modo relinquat ipsas esse liberas, & ad eas non astringat conscientias, ut ipsis servatis, credant sese justificari, non servatis, damnari. Sed hoc non facit. Nam si ad traditiones suas non astringeret conscientias, quæ esset ipsius potestas? Itaque hoc maxime agit, ut obstrictas & captivas suis legibus retineat conscientias. Hinc illæ voces, non potes salvari, nisi obedias Romanæ sedi. Hinc illa fulmina ac tonitrua in Bullis: *qui ausu temerario contraire præsumpserit, ille noverit se incursum indignationem omnipotentis Dei &c.* Ibi simpliciter privat omnes salutem, qui non obediunt suis legibus. Contra, promittit servantibus eas vitam æternam.

Addestina
Lutheri.

nam. Ita urget nos in rete justitiæ operum, quasi nemo possit justificari & salvari, nisi observatis legibus suis. In summa, ne verbo quidem fidei mentionem facit, sed sua tantum docet. Si vero concederet hoc, quod omnes leges ipsius nihil facerent ad justitiam coram Deo, tum vicissim concederem illi multa, sed tunc per se rueret ipsius regnum. Nam si amitteret potestatem salvandi & damnandi, nihil amplius esset Papa, quam merum idolum. Hinc jam anno 1521. in litteris ad Spalatinum (i) improbavit Hutteni consilia & conatus, sic scribens: quid Huttenus petat, vides. Nolle vi & cade pro Evangelio certari: ita scripsi ad hominem. Verbo victus est mundus, verbo servata est Ecclesia, etiam verbo reparabitur; sed & Antichristus, ut sine manu cepit, ita sine manu conteretur per verbum.

(g) Tom. II. Jen. Lat. fol. 326. b. (h) Tom. IV. Jen. Lat. fol. 73. seq.

(i) Tom. I. Epist. pag. 332. b.

§. XVI.

Hæc si observentur media, nullum dubium est, Antichristum ruiturum, licet superbiat, induratus & securus sit. Nam est hic Canon Theologicus, quod impii omnes tam cum perituri sunt, habent hoc ingenium, quod hic describitur, ut indurentur, superbiant, & pertinaciores fiant, ac sine ullo Dei timore vivant, & dicant, pax, pax. Neque enim credit impius malum sibi impendere. Sic Judæi, cum undique obsessi essent, tamen erant induratissimi. Ergo certissimus est interitus Papistarum, secure nunc triumphantium, & contra omnes minas, contra omnes adhortationes, & obtestationes canentium, Filius sapientiarum ego, filius regum antiquorum. Aut igitur veniet super eos judicium, aut alia ingens plaga. Quo enim propiores sunt calamitati, eo magis sunt indurati, ideo allegant sapientiam & antiquitatem. Num tu solus, inquit, vis tam veterem Ecclesiam damnare? num solus sapis? aut majores nostros nihil vidisse putas? Num illi omnes, qui ante te fuerunt, errarunt?

Tom. III. Jen. Lat. fol. 334. a. in Cap. XI. X. Jes.

Hhh hh 3

LOCUS